

Bibliothèque numérique

medic@


Dufour, Jean-Baptiste - candidat /
Allan, Guy-Felix - président. - De
methodo quamdam partûs
praeternaturalis speciem, in
naturalem conventendi, forcipis ope

1772.

*Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi,
Cote : ms 2344, n°6*

1772





6

DE METHODO
QUAMDAM PARTÛS PRÆTERNATURALIS
SPECIEM, IN NATURALEM CONVERTENDI,
FORCIPIS OPE.
THESES
ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

*Quas, DEO JUVANTE, & Præsîde M. GUIDONE-
FELICE ALLAN, Artium Facultatis & Chirurgiæ
Magistro, tueri conabitur, JOANNES-BAPTISTA
DUFOUR, Sueffionensis, Artium Liberalium Magister,
necnon in Regiæ Familiæ præpositurâ Chirurgus ordinarius.*

P A R I S I I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

*Die Sabbatis, 11^a. Aprilis, à sesqui-Secundâ post meridiem ad septimam
A. R. S. H. 1772.*

PRO ACTU PUBLICO
ET
SOLEMNI COOPTATIONE.



Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. DCC. LXXII.

G

DE METHODO

QUAMDAM PARTUS PRAETERNATURALIS
SPECIEM, IN NATURALEM CONVERTENDI,

FORCIPIS OPE

THESIS

ANATOMICA ET CHIRURGICA

Quam, Dno JOHANNI, & FRIDRICO M. GUIDONE,
FRIDR. ALBIN. Aeterni Facultatis & Chirurgiae
Magistro, tunc concessit, JOHANNES - BAPTISTA
DUBOUR, Suesfontensis, Aeterni Libentium Magister,
necnon in Regia Famula praepositorum Chirurgus ordinarius.

PARISIIS,


IN REGIS CHIRURGICORUM SCHOLIS,

Die Sabbati, 14. Aprilis, 1788. a legitime auctoritate postea confirmata et firmata
J. B. S. H. 1788.

PRO ACTU PUBLICO


ET

SOLENNI COOPTATIONE.



Typis P. A. le PRINCE, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. DCC. LXXII.



D. O. M.

DE METHODO

QUAMDAM PARTÛS PRÆTERNATURALIS
SPECIEM, IN NATURALEM CONVERTENDI,

FORCIPIS OPE.

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

I.

PARIRE, naturale est opus. Ast eheu ! quot tardatur ob-
cibus ! Quoties operosum ! Quoties imò, ni subveniat ars
auxiliatrix, prorsus non absolvendum ! Quem maternæ vires
absque subsidio peragunt partum, naturalem dicimus : adde,

A

quem nihil mali ominis nec antecedit, nec comitatur. Harum conditionum una si defuerit, præternaturalis audit. Remotas inter causas quibus corrumpitur partus, non infimum tenet locum perversa ossium pelvis harmonia. Pro diverso depravationis gradu, diversus sequitur eventus. Si levis, ægrè, attamen sola victrix erit natura; si gravis, artis indiget auxilio; si denique intensiva, tunc naturalis occluditur via, novumque infantulo parandum iter ut in lucem edatur. Rara est summa hæc perversio, media frequentior: sæpe enim adeò incarceratur infantis caput, inter ossa pelvis adactum, ut nihil omninò proficiant validissima enixuræ molimina. Qua ratione sic defigatur patebit, cum brevis præcesserit pelvis descriptio.

I I.

Quæ columnæ spinalis est fulcrum, truncumque infernè limitat, ossea compages, pelvis dicitur. Tribus constat ossibus, per synchondrosin adunatis, innominatis utrinque, & posticè sacro, cui appendit os coccygis. Ossa illa minutatim describeremus incaustum, horum figura neminem latet; de pelvi tantum collectivè sumptâ res erit. Duplex est, superna nempe & infima, seu major & minor. Quâ sede prominet prima ossis sacri vertebra, prostat linea ilei partem imam trajiciens, seque offert pars ea pubis quæ *crista* dicitur, hîc est pelvis superioris meta, & inferioris exorsus; hîc, quod vocant *pelvis ingressum*, *aperturam superiorem*, *fretum superius*. Huic subita pelvis cavea, antèrîus ab ossium pubis symphysi, ab ischio utroque lateraliter, & posticè ab osse sacro occluditur. Pubis lacerti, ischiorum tubera, & coccyx, pelvis finem constituunt, ejusque coarctant exitum, qui *apertura inferior*, *fretum inferius* audit. Solam pelvis aperturam superiorem ossibus omninò circumscribi cuilibet inspicienti patet; non perindè tota ossea est neque caveæ, neque aperturæ inferioris peripheria; distat enim à sacro utrumque os coccendicis, sicque duplex adest spatium, quod obserant utrinque ligamenta duo, *sacro-ischiadica* dicta.

I I I.

Dum genuina est pelvis scemineæ formatura, spatium

quasi ellipticum refert hujus apertura superior. Duas ergo distingues in eâ diametros inæquales : major à dextrâ ad sinistram, & pollicum $5\frac{1}{4}$. Altera quæ minor à parte anticâ ad posticam, pollicum $4\frac{1}{4}$ circumcîrâ. Ratione partûs, ut monet Cel. M. LEVRET, tertiam possis addere diametrum, quæ scilicet à symphyfi *sacro-iliacâ* ad ischium diagonicè protenditur (a). Aperturâ utrâque amplior est pelvis cavea, siquidem internè excavatur os sacrum, extrorsumque fugiunt, & pars ima ilei, & os ischium, & pubis symphysis. Quoad infimam pelvis aperturam, in eâ iterum duæ distinguuntur diametri, sed ferè æquales, & $4\frac{1}{4}$ tantum pollicum. At, inquires, nascituri caput à coronali ad occipitale quinque pollices longum, tam arctam non poterit agere viam. Estò, sed benè provida mobilem fecit coccygem natura; dumque infantem detrudunt uteri contractiones, os illud mobile urgenti obsequiosè cedens capiti, retro-agitur, indè toto pollice latior fit via. Hinc videre est quare quadragenariæ, paulò infrâ aut ultrâ, primâ vice gravidæ, ægrè pariant; tunc enim partim unâ conferbuere quibus constat coccyx ossicula, minutaque est ipsius tam opportuna mobilitas.

I V.

Modo exposita ossium pelvis symmetria est adamussim, & frequentior est genuina hæc dispositio; nonnunquam autem invertitur ordo. Vel enim omnis omnino peccat pelvis, ita ut perversæ & superna & inferior, informem admodum exhibeant compagem: quod frequentius in puellis quæ primis vitæ annis, rachitico gravatæ sunt morbo; vel pervertitur tantum aut superior aut infima pelvis; vel denique seu in unâ, seu in alterâ, unum ex ossibus, vel duo paria deviantur. Aliundè in infimâ pelvi, vel legitima non est ingressus dimensio, vel depravatur cavea, vel demum aperturæ inferioris æquæ non sunt diametri. Actum ageremus, si unamquamque perversionis speciem recensere, & de causis dicere, ferret animus; de solâ methodo partum absolvendi, quo in casu deformatur apertura inferior, acturi, hujusce aperturæ vitia, quatenus ad propositum nostrum spectant, tantum-modò indigitabimus.

(a) Vid. l'Art des Accouchemens, pag. 6, §. 31.

V.

UT singulatim & pelvis ingressus & ejus cavea deturpantur, sic & sola potest vitari apertura inferior; quin etiam, sola sapius læditur. Et si procero corpore gaudeat puella, et si exterius nil deforme appareat, non raro accidit ut præter-naturam angustetur pelvis exitus. Multifariam sic potest angustari; namque si productior sit, intròque vergat pubis symphysis, & aliundè apex ossis sacri intus quoque nimium promineat, sicut nascituri capiti repagula, quæ nullus naturæ nifus perfringere valebit. Ità stabit hærens caput infantis, si non aqua sit inter pubis lacertos distantia, proindeque angustior sit ejus arcus; idem eveniet si legitimum non adsit inter ischiorum tubera spatium; si denique unà coaluere nonnullæ coccygis partes, ut in vetulis. Insuper, quamquam ratione habitus debita adsit ossium pelvis proportio, si sit exili staturâ prægnans, & crassius infantis caput, mole suâ, pelvis capacitatem superet, nullo unquam conatu illud evincet natura.

V I.

NON primo intuitu dignoscuntur varia hæc freti inferioris vitia, sed inter pariendum obstetricanti se produnt. Graviditatis spatium percurrit, metamque tangit primâ vice prægnans; tunc leves pungunt partûs imminentiis nuncii dolores; recrudescunt citò; sunt acerrimi, & frequentiores, & diutini; uno verbo fervere incipit æstus parturiginis. Nervos adhibet mulier; repetitoque nifu, jam rupta est amnios, jam profluxerunt aquæ, jam inferiorem pelvis oram attigit infantis vertex. Animos oblectat blanda spes; in sinu gaudent astantes; moxque futuram se matrem lætatur parturiens. Solus silet anceps obstetricans; adversam præfagit fortunam, saltem metuit, & non immeritò. Qui felicioribus inchoabatur labor auspiciis, statim subsidet; nulli omnino, vel pauci ac breves, attamen acuti, adsunt dolores, quos gallicè dicunt *douleurs coupées*. Digito scrutanti, jam non occurrit, ut antea nudus vertex, sed conicus tumor subnatus; arefcunt vaginæ parietes, antea lentore madefacti; immotum hæret caput infantis; fit denique capitis

incuneatio, *paragomphosis*, *enclavement*. Quæ si perdurent, & non in promptu sit Chirurgia adiutrix, pejora urgent symptomata; nulla fit stercoreum dejectio, cessat lotii effluxus, tumor accrescit, antea renitens fit mollis, sitim patitur anhela parturiens, languescit, prosternuntur vires, misellam imò cita mors minatur, vel si supervixerit, dira malorum cohors impendet, moræ sequela; & de puero decantatum est.

V I I.

TAM sinistra cladis sæpè testes extitisse antiquos conjicere est. Nonnulli enim inter eos varia excogitarunt seu media, seu instrumenta, quorum ope, neglecto infante, matrem liberare tentabant. Sincerae autem causæ inscii, ne ossa quidem suspicabantur proprium esse impedimentum: uteri orificium, aliasque carneas partes incusabant. Paulò ultrà progressi sunt prioris ævi obstetricantes, hos quidem causa non latuit, sed latebat modus stragis avertendæ; quot capita tot sensus erant. Hi nihil omnino audebant anxii, & ne infanticidæ haberentur & matrem & prolem trucidabant inertes. Audacior PEU in vivum adhuc infantem, hujus vitam nihil pensi habens, uncum injiciebat; sicque occiso infante, plures se servasse matres jactitat (a), cunctantesque alios objurgat. Isti pueri mortem expectabant otiosi; dein statim atque hunc mortuum dijudicabant, alii plerique cranium, scalpelli vel forficis ope, perfodiebant, ut eliminato cerebro gracilius fieret caput; alii fœtum dilaniabant; alii in cranium uncum insigebant, repetitisque conatibus, non sine matris periculo, infantem excutiebant. Hæc media respuens MAURICEAU capiti-traham invenit; alii perforatoria, terebras occultas alii in medium attulere &c. Sed omnia hæc artis subsidia nihil frugis dabant infantulo, quin, horum usu periculo non vacabat mater. Obsolevere ergò, nuncque exulant; hodierna feliciorque Chirurgia & matri & proli certam præbere valet operam. Tantus honos nostro servabatur ævo.

(a) Vid. *Pratique des Accouchemens*, pag. 298, 347, 349, 353, &c. &c.

VIII.

NOCTIVIS veterum instrumentis beneficam suffecerunt Forcipem nuperi. *Palfinianam* dixerunt ab auctore quem credebant PALFIN; inventus autem gloriam sibi alii vindicarunt nonnulli. Quidquid id est, hanc litem componere nostrum non est. Primâ etate suâ informis erat Forceps, & in eâ multa desiderabantur, undè plurimis vicibus, de variorum genio, variè fuit recusa. Jam nunc plurimæ etiam sunt Forcipis species, sed præ aliis commendatiorem *Levretianam* asserimus. Quam addidit Cel. M. LEVRET curvaturam, majoris existimamus momenti; plura inter commoda quæ ministrat hæc curvatura, hujus ope fit Forceps pelvis figuræ accommodatior; dum prehensum tenet infantuli caput, plus hujus-ce partis spatii occupatur, quò firmiter sit prehensio; frenulo demùm magis indulget. Aliundè, lacertorum junctura, stabilior est & faciliior.

IX.

HAC juvante Forcipe, tutus ibis. Sæpè sæpius illasâ matre, in lucem edetur proles incolumis. Et ecce methodus incuneatum caput arripiendi, captumque opus auspiciatò persequendi. Utrumque Forcipis cochleare, ante hæc illinitum & calefactum, manu præviâ duce, seorsim immittat Chirurgus, ita ut ad pudendi ostium accedat pars manubrii superior. Unâ dein jungantur lacerti; fit hæc junctura ope axis, qui in uno è brachiis prominet, & in alterius foramen infigitur. At arduum quandòque opus; nonnunquam enim inter inducendum alterum brachium, prior immissa pars avertitur, sicque sensu opponuntur & axis & foramen; vel aliâ de causâ quâcumque, multum à se discedunt. Compositis motibus ad opportunum sunt reducendi statum lacerti, ita ut, adversis foramine & axi, faciliior fiat adaptatio; quod, si solers sis & industrius, obtinebis faciliùs difficiliùs - ve. In partem imam manubrii fasciâ injectâ, vel mantili contorto stabilitur junctio. His ità positis, utrâque manu Forcipis manubrium apprehendat obstetricans, motuque rotato moderatè caput adducat, sic iteratis tractibus amovebitur, & solvetur incuneatio, To-

7

tum si velis infantuli caput extrâ vulvam tractim subduces: sic commendant auctores, receptaque est praxis. At plerumque noxius, & ad minimum semper inanis labor, saltim si nullum symptoma urgens & minax, moram prohibeat.

X.

OPE jam laudatæ ingeniosi M. LEVRET curvaturæ, si compositè caput extrahas, minùs imminet periculi ne rumpatur frenulùm vulvæ. Verùm calamitosi casus omninò non est immunis operatio; quod facile est intellectu. Dum inter ossa pelvis coactum detinetur caput, nullam omnino subeunt distentionem partes sublitæ; statim atque verò amotum est à Forcipe, in vaginam ingressum, mole suâ, ejus parietes summè distendit. Rugosus equidem ille ductus haud agrè dilatatur; sed tantâ non gaudet virtute cutis. Si præceps sit, & extrâ modum fiat, ut necesse est, illius distentio, sic distracta vi extrahenti cederet & rumpetur, si rigidioris sit textûs, ut evenire solet præsertim in vetulis, & evenit quoque non rarè in juvenibus, quibusdam de causis quas recensere esset inutile. Si negaveris, vel improbè, vel insciè; constat enim experienciâ, multoties rupta fuisse, vi Forcipis, aut pudendi labra, aut vulvæ frenum, imò & perinæum; etsi obstetricantes non infimi essent subsellii, etsi è contra in usu Forcipis versatissimi. Præterea licet tenuia sint Forcipis cochlearia, unâ certè lineâ utrumque crassius est. Crede-ne duplicis lineæ additamentum minimi esse momenti? Quot, in mechanice, ruerent machinæ, si portio quælibet duabus augeretur lineis? Arctam & arctissimam soli capiti viam offert vulva; quid si duæ ejus crassitie addantur lineæ? Si exeunte solo capite rupturæ semper immunis non est, à fortiori sic auctâ mole.

XI.

SI verò jam solutum caput expulsuræ committas naturæ, pedetentim & levisiter decidens, leniter quoque dilatationem peraget, & juvantibus unctione aliisque mediis, absque læsione ullâ poterit totum expelli. Aliundè ut monet Cel. M. PIET, hujus-ce correctionis auctor, & in usu For-

cipis obstetricans exercitatissimus (a), licet mitior sit obstetricantis agendi modus, nunquam modi naturæ æmulus est; compositissimi tractûs gradata minùs erit actio, præceps magis, imò abrupta; undè acutiores parturienti orientur dolores. E contrà si, incuneatione capitis expeditâ, partus soli naturæ blandæ magis & amicæ committitur, tunc ad partum naturalem revocatur; reipsâ, abstractis præmissis, fit naturalis partus. Insuper, ut iterùm monet Cel. M. PIER (b), siquidem prudentior solertia à funesto rupturæ casu non tuetur, & versatissimos; quid eveniet, si sit minus exercitatus obstetricans, si sit in Forcipis usu novus? Incuneatum caput expedire munus est Chirurgi, id unum illi curæ cordique debet esse; id unum ars imperat; cur ultrà progredietur tanto in discrimine versatus.

XII.

Quid hæres dubius? Num times, ut fuit objectum (c), ne contrahi jam nequeat uterus, indèque, post expeditam incuneationem, expultrices desint vires? Qua de causâ, quæso, sui ipsius oblita, sibi deficeret natura? Cur proprio juri redditus, iners & in re suâ deses fieret uterus? Atopa te terrent phantasmata. Tale fatum paveas, ac reducibus ne confidas doloribus, si diuturniore duroque jam fracta fuerit labore mulier; diùque cunctata, ineptè secuta obstetrix, territa tandem te, sed seriùs, accesserit. Tunc enim prosternuntur vires, & sicuti aliæ partes languescit uterus; quo in casu celerior sis, ingens in morâ periculum. Si verò cautè prudenterque te gesseris; si, te astante, incuneationis indicium dederint quædam è suprâ recensitis signa, & maturè ad opus te accinxeris; integræ stant parturienti vires, totum tenet robur uterus, certissimè contrahetur, recrudescunt dolores, extremamque manum addet natura.

(a) Vid. Journal de Médecine, Février 1772, sub finem.

(b) Loco jam citat.

(c) Vid. Journal de Médecine, Décembre 1771.

XIII.

XIII.

CATENIS resolutum nascituri caput diù in vaginâ immoraturum ne suspiceris ; unius sat est contractionis ut extrâ vulvæ ostium detrudatur ; & impigrè redit efficax illa contractio ; nam vix elapso minuto sexto , sæpissimè dolor unus exardet qui opratum ad finem perducit opus ; pluriès comprobavit experientia (*a*). Abruptum tamen ne credas hunc exitum ; inter quietem , mole capitis , sensim expanduntur vaginæ parietes , dein lentè nascitur contractio , est diuturna , gradatim accrescit ; lento igitur gradu incedit caput , paulatim quoque , dum progreditur , explicantur vaginæ ostium & pudendi labia ; sicque gradatâ hac extensione , dudum parata , transilienti capiti affatim patet via , & omni periculo vacant partes. Cæterum quâ ratione immunes sint , quid refert dispungere ? Sunt reipsâ , repetitus docet usus ; sit ergo fiducia.

(*a*) Mense Julio 1771 , præsentè Cl. Astus præside , Forcipis ope obstetricabatur Cl. M. PIET. Solutum incuneatione caput & in vaginam adductum , exiit ; vixque in lectum reposita mulier , dolore conquesta est , & statim vivam & vegetam exhibuit puerulam obstetricans , quod Cl. Præsidi multoties sibi sic evenisse asseruit.

Mense Octobri sequenti , alteri sic successit obstetricanti , Cl. Præsidi adhuc astante , quamquam superna fuit facies & funiculus umbilicalis bis circâ collum contortus , infans hodiè etiam vivus est & benè sanus.

FINIS.

